DISPVTATIO
de Iniurijs.

Quàm

DEO ADIVVANTE

Ex decreto & authoritate Amplissimi Iuridicæ facultatis ordinis, in celeberrima & inclyta Tubingensi Academia

Sub Præsidio

CLARISSIMI ET CONSVLTISSIMI VIRI, DOMINI HEINRICI BOCERI, IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS, ac summi Consistorij Illustrissimi Principis Vuirtemberg. Assessoris dignissimi, domini sui obseruandi, Mense Mar. die 12. in auditorio Iurisconsultorum defendere conabitur.

IOANNES KIELMAN STVTgardianus.





Tubingæ, per Alexandrum Hoggium, 1588.

NObili & Clarissimo viro, Domino Ioanni Kielmanno, Illustrissi. Principis Vvirtenberg: Physico, Parenti suo summa obseruantia colendo: has de Iniurijs conclusiones debitæ obseruantiæ causa, ex inclyta Tubingensi Academia mittit.

Ioannes Kielmannus
Stutgardianus

DISPVTATIO DE IN-IVRIIS.

Conclusio. I.



N iuria (strictè & specialiter hoc nomine accepto) est delictum, siue maleficium, quò quis contumelia afficitur.

2. *Delictum (inquam) seu maleficium, nam iniuria in dolo & affectu facientis consistit, neq; sine consilio & mente constari potest, licet ad contumeliam alicuius quid pertineat.*

3. *Est autem contumelia contemptus siue despectio, ad infamiam vel inuidiam, & pudorem alicuius spectans, vt si quid in aliquem inuitum, vel verbis, vel factis committatur.*

4. *Duo itaq; vt iniuria facta dicatur coniunctim res quiruntur: Dolus scilicet siue affectus, & contumelia. Vnde neq; is, in quem dolus non cadit, qualis est furiosus, & pupillus, qui fraudis haud capax est, neq; is, qui vel dixit, vel scripsit, vel pinxit, vel fecit, quod per se quidem iniuriosum est, at non ex proæresi, affectu & libidine iniuriandi, profectum: quod ex personarum qualitate & coniecturis æstimandum est: neq; ille qui quidem dolo aliquid commisit, at non contumeliæ causa: iniuriarum iudicio condemnandus erit.*

5. *Porrò etiamsi nulla iniuriæ vera nobis appareant genera, vbertas tamen permagna modis quibusdam distinguitur: Et primò aliquis vel per se & solus, vel ab alio*

concitatus & cum alio iniuriam facit. Per se & solus cum sua facultate propriaq́ iudicio ac voluntate absq́ alterius consilio & ope, aliquem contumelia afficit: Ab alio concitatus, & cum alio, qui alterius consilio & ope alicui iniuriam infert: quo casu non solum is, qui directò iniuriam imposuit, sed etiam consultor, itemq́ is, qui opem tulit, iniuriarum tenetur.

6. Secundò iniuria aut re fit aut verbis: Re fieri iniuriam dicimus, cum quis facto quodam contumelia afficitur, eaq́ duplex est, aut enim in corpus infertur, aut extra corpus imponitur.

7. In corpus infertur iniuria, cum alicuius corpus contumeliose tractatur. vt si quis vel pugno pulsatur, vel fustibus cedatur, vel verberibus: vel stuprum alicui inferatur: Idem si quis fimo corrupto aliquem perfuderit, vel cœno aut luto oblinuerit.

8. Extra corpus fit iniuria, quando citra corporis sui odiosam tractationem aliquis facto quodā despicitur. Idq́ pictura fit, aut habitu, aut gestu, aut alio quodam actu Pictura, cum quis ad sui contumeliam pingitur claudus, Cœcus, ad furcam: Vel si fœmina pingatur nuda cum certo vituperio, vel ad eius infamiam alicuius (salua reuerentia) pingantur membra virilia, vel in contumeliam potestatis (saluo honore) pingantur vuluæ muliebres. Habitu fit iniuria, cum ad contemptum alicuius, lugubri aut squalida vel alia veste quis vtitur, Gestu fit iniuria, cum quis suo corpore, vel eius partibus aut adiunctis contumeliam alicuius significat, vt si linguam, ad despectionem alicuius exerat, oculos distorqueat, barbam capillosq́ demittat.

Actu

Actu quodam alicui fit iniuria, si alicuius bona, quasi debitoris, qui nihil debet, possideantur ab eo, qui intelligit nihi eundem sibi debere, item si quis matremfam: aut pretextatum prætexta tamuè adsectetur. Si quis domum alicuius vi introeat. Si comes matronæ abducatur. Si alicuius contumeliam aquas spurcauerit, fistulas, lacus, quidué aliud contamminauerit.

9. Verbis fit iniuria, cum quis vocibus ad contumeliam alicuius descendit, nec refert in iudicio vel extra iudicium hoc fiat. Idq; dupliciter contingit, dicto scilicet vel scripto.

10. Dicto fit iniuria, cum voces turpes, hoc est, contumeliosæ, in aliquem pronuntiantur, vt si quis te Sycophantam, delatorem, vel homicidam, vel seruum dixerit, vel aliud aliquòd verbum, quo tua opinio minuatur: vt quod delictū aliquod commissum vel in genere vel in specie denotat, tibi obiecerit. Idq; si pluribus vocibus in catu cum vociferatione fiat, conuitium dicitur.

11. Verbo item Tu mentiris, dicitur & infertur iniuria, licet proferatur cum protestatione, Saluo honore tuò: nisi quis prouocatus ad defensionem suæ innocentiæ & honoris conseruandi gratia retorsione vtatur, & alicui obijcienti crimen, tale verbum (Tu mentiris) in continenti dixerit: licet adiecerit tu mentiris vt fur & latro.

12. Quod si vero te homicidam, aut latronem, aut furem dicenti, responderis simpliciter tu adulter, tu prædo, vel similiter tu homicida es, non excusaris, sed vt ipse tibi, ita tu vicissim illi actione iniuriarum teneris, quamuis tu prouocatus mitius puniendus sis.

13. Et licet iniuriosis verbis veritatem dixeris, nihil-

 ominus

ominus iniuriam facis, & iudicio iniuriarum teneris, siue in iudicio, siue extra iudicium hoc feceris: nisi quòd obiecisti, & manifestari intersit Reipub: & ex iusta causa veluti ad vtilitatem negotij, de quò agitur & absq; praua intentione illatum sit.

14. Scripto fit iniuria, cum scripto aliquis dolosè despicitur: idq; fit libello famoso, aut alia quadam scriptura.

15. Famosus libellus est, qui ad infamiam alicuius pertinet: vt quo graue aliquod delictum obijcitur, siue authoris nomen ad scriptum sit vel non, siue item adiectum fuerit infamati nomen vel non sit adiectum, sed omissum.

16. Alia iniuriosa scriptura, non famosus libellus est, qua aliquis absq; infamiæ nota dolosè contemnitur: Vt si quis luscus, spurius, Claudus, aliòue contumelioso nomine ludibrij causa, inscripta cantilena, rythmo, comœdia, &c: appelletur & traducatur.

17. Tertio diuidimus iniuriam in atrocem siuè grauem, & leuem iniuriam.

18. Atrocem siue grauem iniuriam accipimus, quæ cōtumeliosior & maior est, eaq; vel persona vel facto, siue re ipsa, vel loco, vel magnitudine læsionis æstimatur.

19. Persona, fit atrocior iniuria cum Magistratui à subdito, vel parenti à filio, vel fratri à fratre, vel hospiti ab hospite, vel patrono à liberto, vel homini in dignitate constituto, ab humili persona, vel homini libero à seruo infertur.

20. Vnde etiam atrox est iniuria, quæ Rectori Academiæ, vel professori à Scolastico infertur.

21. Tempore fit grauior iniuria, si interdiu conspiciente populo, vel in conuiuio, vel die festo, iniuria in aliquem immitatur.

22. Facto

22. Facto siue re ipsa æstimatur atrocior iniuria, si quis ab aliquo vulneratus, fustibus cæsus, os alicui percussum sit.

23. Loco fit atrocior iniuria, veluti Oculo percusso: item si in Theatro, in foro, vel in conspectu Prætoris, iniuriam quis acceperit.

24. Magnitudine læsionis corporis, vel famæ, atrox æstimatur iniuria, si vulnus quòd quis ab iniuriatore accepit magnum & periculosum sit: Item si famoso libello bona alicuius fama, læsa sit.

25. Ex prædictis simul intelligitur, quæ sit leuis iniuria. Quæ enim non est atrox, illam leuem esse affirmamus.

26 Deniq; iniuriam patitur quis, vel per semetipsum vel per alias personas, per semtipsum cum directò alicui fit iniuria: per alias personas, cum per consequentias alicui iniuria infertur: vt cum fit meis liberis iniuria, vel seruis meis, vel vxori aut sponsæ meæ, vel funeri testatoris, aut cadaueri, vel famæ defuncti, cui hæres bonorumùe possessor ex isto. Spectat enim ad nos, & ad nostram existimationem iniuria, quæ in his fit, qui vel potestati nostræ, vel affectui subiecti sunt.

27. Quòd si tamen iniuriator patremfam: vel viduam, vel liberam esse existimauerit, non potest videri aut patri, aut marito, aut sponsò, iniuriam fecisse.

28. Sequitur de actione iniuriarum. Iniuriarum actio est, quâ ad corecendum iniuriatorem, eiusq; superbiam ob illatam iniuriam & mitigandam iniuriati dolorem, agitur.

29. Qui autem hanc actionem instituit, non debet vagari

vagari cum discrimine alienæ Existimationis sed designare, & dicere certum debet, quàm se iniuram passum contendit.

30. Locum item & tempus, quo iniuria facta est, exprimere in libello actor tenetur,

31. Est autem duplex iniuriarum actio, ciuilis & criminalis.

31. Ciuilis iniuriarum actio est, qua actor certam iniuriæ pœnam à se expressam, sibiq; præstandam persequitur: qualiscunq; etiam iniuria fuerit. Nam hodie de omni iniuria etiam atroci, et quæ lege Cornelia coerceri iubetur, ciuiliter agi potest.

33. Hac actione experitur is, qui iniuriam passus est, siue per semetipsum, siue per alias personas, contra eum, qui iniuriam fecit, vel per se & solus, vel per alios, Pater enim maritus, & sponsus, itemq; hæres etiam, de iniuria sibi per filiumfam: vxorem, sponsum, defunctum, ab aliquo illata, agere potest. Nec refert sciat iniuriator, meum esse filium, vel vxorem, vel sponsam, vel ignorauerit, modò sciat filiumfam: vel vxorem, vel sponsam esse. Item hac actione conueniri potest, non solùm qui ipse fecit iniuriam, verùm ille quoq; qui dolo fecit, vel qui curauit vt alicui iniuria inferretur.

34. Non solùm tamen pater, mairitus, sponsus, hæres, qui adijt hæreditatẽ antequam illata esset iniuria, suo nomine iniuriarũ agere potest, sed etiam nomine filijfam: vxoris, sponsæ. Nam duplex actio nascitur, vna patri, marito, sponso, hæredi: altera filiofam: vxori, sponsæ, hæreditati, defuncti, si illata sit iniuria ante aditam hæreditatem.

Qui-

Quinimò interdum ex vna iniuria tribus oritur iniuriarũ actio, neq; vna per aliam consumitur, si enim vxori meæ filiæfam: iniuria facta sit, & mihi & patri eius, & ipsi iniuriarum actio incipit competere.

35. Non tamen filio licet emancipato, iniuriarũ actio aduersus patrem competit, nisi atrocitas suaserit. Eademq; est causa liberti & patroni.

36. Neq; si viro aut sponso iniuria facta sit, vxor aut sponsa iniuriarum agit: quia defendi vxorem & sponsam à viro & sponso, non virum & sponsum ab vxore & sponsa æquum est.

37. Domino item pro atroci iniuria, quàm seruus eius passus est, iniuriarum actio competit.

38. Si filiusfam: vel seruus iniuriam fecerit, aduersus patrem, itemq; dominum agitur iniuriarum iudicio. Sed aduersus patrem si filium defendere velit: Si eum non defendat, ipse filius conuenitur. Aduersus dominum noxale iniuriarum iudicium datur, vt vel exhibeat seruum verberandum, vel noxæ dedat, vel æstimationem litis sufferat.

39. Si plures serui aliquem ceciderint, aut conuitium alicui fecerint, singulorum proprium est maleficium. Tot enim sunt iniuriæ quot personæ iniuriam facientium: Et ideò singulorum nomine dominus iniuriarum tenetur: quamuis in facto & damno dato diuersum ius sit.

40. Sed an cedi hæc actio posit, controuertitur: Nos glossa Bart: sententiam approbantes existimamus, quod cedi posit.

41. *Agere autem hac ciuili iniuriarum actione, potest quis per se vel per alium, puta procuratorem, licet ex Cornelia agatur, item per tutorem, cæterosq́ qui pro alijs solent interuenire. Item excipere hanc ciuilem actionem reus potest: vel per se vel procuratorem.*

42. *Porro ciuilis actio duplex est: vnâ iniuriæ æstimationem persequimur: alterâ ad palinodiam agimus.*

43. *Actio iniuriarum ad æstimationem iniuriæ intentatur, cum actor iniuriam ad certam pecuniæ summam in libello æstimat, pro qua eiusmodi contumeliam pati noluisset, eamq́ salua iudiciali taxatione, sibi applicari petit.*

44. *Actio verò iniuriarum ad Palinodiam instituitur, quando actor petit sibi restitui famam: vt scilicet iniurians pro integratione famæ, vel pudoris iniuriati, publicè profiteatur, declaret & dicat verba iniuriosa quidem fuisse inconsultè & immeritò à se dicta & prolata.*

45. *Potest tamen actio iniuriarum reuocatoria cumulari & coniungi cum ea, quæ ad æstimationem instituitur.*

46. *Item actio legis Aquil. cum iniuriarum actione cumulari potest, si & damnum datum sit.*

47. *Cæterùm criminalis iniuriarũ actio est, cum quis omissa ciuili, iniuriarum æstimatoria actione, per inscriptionem, coram iudice de illata iniuria conqueritur, & iniuriantem ob eandem iniuriam puniri, non autem sibi quicquàm præstari, siuè applicari petit.*

48. *Hanc actionem viri illustres: quiq́ super eos sunt, vel per se, vel per procuratores persequi aut suscipere possunt: Reliqui non possunt.*

49. Est

49. Est verò duplex hæc actio, aut enim est extra ordinaria actio, aut est pup: accusatio

50. Extraordinaria iniuriarum actio est, qua is cuius priuatim interest, non fuisse sibi factam iniuriam, à iudice competente petit, vt pronuntiet & declaret puniendũ esse iniuriatorem, eumq; pro suo arbitrio coërceat.

51. Publica iniuriarum accusatio est, qua quilibet de populo de iniuria, quæ lege aliqua publici Iudicij vindicari iussa est, in iudicio conqueritur, atq; iniuriantem pœna iuris puniri petit.

52. Huiusmodi iniuria est, quàm lex Cornelia coërcet, vt si quis pulsatus, verberatus, domusuè alicuius vi introita sit. Item quæ ex SCto: & constitutione Valentin: & Valent Impp: vindicatur, qualis est quæ per famosam scripturam infertur, & deniq; quam lex Arcadij & Honorij Impp: publico iudicio vindicari iubet, qualis est quæ sacerdoti vel eius ministro dum sacra faciunt infertur.

53. Proposita autem & intentata in iudicio, vel ciuiliter vel criminaliter actione iniuriarum: Reus inprimis dispiciet, num iure sit proposita, an verò destructa & sublata sit, & proinde saltem de facto sit instituta actio, vt contra eam excipere posit: Extinguitur autem & tollitur iniuriarum actio varijs modis. Et primo morte vel iniuriati, vel iniuriantis. Iniuriarũ enim actio ciuilis neq; hæredi neq; in heredem datur: Criminaliter tamen hæres iniuriati, ex Bart: sententia aduersus iniuriantem rectè agit.

54. Si tamen lis cum iniuriatore adhuc viuente, con-

testata sit, perpetuatur actio ciuilis, & instātia litis in eius hæredem transfertur. Omnes enim pœnales ciuiles actiones, post litem inchoatam in hæredes transeunt. Criminalis autem actio morte rei omnino tollitur, etiam post litem contestatam.

55. Deinde iniuriarum actio ciuilis æstimatoria, itemq; criminalis ex quacunq; causa, etiam ex iniuria vel scripta, finitur anno continuo, hoc est, si ex reali tempore, quo resciuit & comperit iniuriatus, illatam sibi esse iniuriam, annus continuus effluxerit.

56. Tradunt tamen glossa alicubi, & nonnulli Dd: prætoriam duntaxat iniuriarum actionem anno finiri: sed eam, quæ ex lege Cornelia competit ei qui pulsatus, vel verberatus, cuiusue domus vi introita est, etiam quæ per scripturam vel picturam est illata, perpetuam esse. Idq; iudicando obseruatur.

57. Pòst lapsum autem anni & tempore extinctam actionem ex Dd: sententia, potest iniuriatus officium iudicis implorare.

58. Actionem verò iniuriarum reuocatoriam perpetuam esse tradunt.

59. Tertiò iniuriarum actio tollitur pacto, item, transactione: Sed si ita simpliciter remitatur iniuria, nulla facta mentione damnorum, & interesse, non videtur remissum ius consequendi damnum & interesse.

60. Quartò perit iniuriarum actio iureiurando, si scilicet ex delatione iurisiurandi Reus iuret, se iniuriam non fecisse.

61. Quintò extinguitur iniuriarum actio dissimulatione

latione, hoc est, si verbis vel indicijs contestatus nō sit, illico is, cui iniuria facta est, se eam accipere, & ad animum reuocare. Quòd si continuò reuocauerit ad animum iniuriam, licet postea salutet iniuriatorem, vel ei manum det, vel osculetur ipsum, vel bibat, & edat, cum eo, non tamē actionem, sed duntaxat rancorem(vt Dd. loquuntur) remisisse videtur.

62. Deniq; tollitur iniuriarum actio re iudicata: nam si actum sit priuato iudicio, denegandum est publicum: & similiter ex diuerso.

63. Quòd si reus huiusmodi aliqua exceptione non repellat actorem, ad probationes & alias defensiones & exceptiones proceditur: siue ciuiliter siue cuminaliter agatur. Nam vt priuatum sic & criminale iudicium, per probationes & exceptiones agitatur, vtrumq; etiam litis contestationem requirit.

64. Actor autem probat iniuriam sibi factam esse à Reo, & quidem ipsius dolo malo, quòd ex personarū dictorum & factorum qualitate æstimandum est.

65. Si enim Reus sit doli capax, non furiosus, non pupillus, & verba, quæ per se iniuriosa sunt, in aliquem vel dixerit vel scripserit, aut factum aliquod per se iniuriosum gesserit: vt si quid dixit, vel scripsit, vel fecit, quod sit contra bonos mores eiusdem loci, vbi facta est iniuria, & ad contemptum actoris pertinere videatur, nihil amplius ex parte actoris requiritur, quàm vt eiusmodi verba iniuriosa dicta vel scripta esse, aut contumeliosum factum gestum esse, per testes aut instrumenta probet. Nisi de hoc Rei propriam habeat confessionem,

66. Nam verba vel facta per se iniuriosa inducunt

 pro-

præsumptionem animi dolosi: contra proferentem. Talis enim præsumitur animus, qualem verba ostendunt: Et verba factaq́, teste Aristotele, sunt notæ passionum, quæ in animo fiunt.

67. In hac tamen iniuriarum causa per eos testes, qui sunt de cognatione & familia sua, actor probare nequit. Quippè cum iniuria vni ex consanguineis facta, cæteris etiam de familia facta esse intelligatur. Sed ad quem vsq; gradum, in arbitrio iudicis consistit, qui ex facti qualitate, & consuetudine Regionis, iudicabit, an etiam consanguineus vltra quartum gradum, vel vlteriorem, ea iniuria affectus sit.

68. Probata actoris intentione rei votum est, illam elidere, & contra eam se defendere: vt, si doceat, se non animo faciendæ iniuriæ, quid dixisse, scripsisse, aut fecisse: quòd ex personarum verborum, & factorum qualitate & circumstantia æstimandum est.

69. Magistratus etiam, si vindictam publicam exerceat, non infert iniuriam.

70. Neq; is, qui ex decreto Magistratus in alicuius persona quid fecerit, putà eum non obtemperantem duxerit, iniuriam facit.

71. Si quoq; sutor, puero parum benè facienti forma calcei, tàm vehementer ceruicem percusserit, vt ei oculus effunderetur, ex eo iniuria non præsumitur.

72. Neq; etiam præsumitur iniuriandi animus inter sanguine iunctos, neq; inter affines, quorum alter contra alterum inuitus, testimonium dicere non cogitur.

73. Si

73. Si quis etiam per iocum, aut dum certat, aliquem percutiat, non intelligitur facere iniuriam, nisi iocus, vel percussiõ illa, æquo frequentior fiat.

74. Ebrius item, hoc est, qui ob cerebri imbecillitatem ex casu & præter opinionem potu largiori, mente alienatus est, siquidem furioso & mortuo comparetur, proinde in ipso propositum, & peccandi voluntas absit: si quid iniuriosum in aliquem dixerit, iniuriam reuera non infert. Ebriosus verò, hoc est, qui ex vitioso habitu sciens, prudensq́; inebriatur, si consueuerit esse rixosus, et excitare turbas, aliosq́; verbis iniuriosis proscindere, neq; ignores, se ebrium tali vitio laborare, quia tunc ebrietas ad casum destinata censetur, iniuriam facit.

75. Quòd si etiam aliquis hæc verba in quendam proferat, TV DICIS FALSVM, non videtur iniuriam inferre, quàmuis elati, & superbi, huiusmodi verba in continenti assumant in suam iniuriam dicta. Quando enim verbum aliquòd est indifferens, & potest sonare iniuriam vel non qualia sunt prædicta verba, tunc in mitiorem debet accipi partem.

76 Si quoq; dixeris cuidam, quod sis nobilior & probior ipso, non afficis eum iniuria nec teneris iniuriarum actione.

77. Deniq; per iusiurandum purgationis Reus se defendere potest: Iudex enim ex æquitate consideratis personis, & iniuriæ circumstantijs, an à propinquo vel amico facta sit iniuria, non publicè sed priuatim, tale iuramentum purgationis deferre potest Reo, vt is iuret quod

quòd verba iniuriosa non iniuriandi animo protulerit.

78. Quodsi autem actoris intentionem, Reus elidat, & excludat, Iudex eum absoluit. Sinminus condemnat ipsum, & modò in pecuniariam pœnam actori applicandam: aliquando in pœnam extra ordinariam pro suo arbitrio: Quandoq; verò ex lege publici iudicij in pœnam lege definitam.

79. Si enim agatur ciuiliter, iudex pecuniariam pœnam, ad quam actor iniuriam æstimauit, primum pro iniuriæ qualitate (consideratis videlicet circumstantijs, an atrox vel leuis sit iniuria) taxat ita, vt vel sequatur æstimationem actoris, vel minoris iniuriam æstimet, respiciens scilicet ad id tempus, quo facta est iniuria. Deinde actori iuramentum defert, qui si nolit iurare, ad moderationem, & taxationem iudicis, eô quòd minùs petitione & opinione sua æstimatum sit, iudex interloquitur, & recusanti, sub comminatione absolutoriæ sententiæ, iuranti præstationem iniungere potest. Deniq; præstito iuramento Reum in Taxatam pecuniæ summam actori præstandam condemnat.

80. Hic quæstionis est, an tale iuramentum mortuo iniuriato, eius hæredi possit deferri? Et quòd possit verius putamus.

81. Reo autem, pendente lite mortuo, hæres eius de nouo citari debet, ad re assumendam causam, nempè vt vno verbo omnia acta & actitata, præhabiti Iudicij repetantur, nec cum ipso hærede nouus processus instituatur.

82. Dams

82. Damni verò accepti non videtur habenda ratio, in hoc iudicio iniuriarum, cum magis vindictæ quàm pœna persecutionem habeat. Sed dubium non est, quin ob damnum acceptum augeatur condemnatio, quamuis non principaliter hoc agatur.

83. Quòd si criminaliter extraordinariè agatur, iudex pro suo arbitrio Reum pœna afficit, quæ ex causa & persona statui solet. Et serui quidem flagellis cæsi dominis restituuntur. Liberi verò puniuntur vel pecuniaria pœna, fisco applicanda, vel pœna corporis. Et quidem humilioris loci fustibus subijciuntur: Cæteri autem vel exilio temporali, vel interdictione certæ rei coercentur: qui verò diffamandi alterius causa, in monumento publico quid posuit, de medio tollitur.

84. Sin autem publico iudicio agatur, cum ex lege publici iudicij, quâ vindicari aliqua iniuria iussa est, tùnc in pœnam eadem lege definitam, Reus condemnatur. Veluti ex lege Cornelia, quòd quis pulsatus, verberatus, domusue vi introita est: Reo in tertiam partem bonorum publicatio imponitur, si homo liber fuerit: si seruus, extra ordinem duriori pœna plectitur.

85. Qui verò libellum famosum scripsit, vel ab alio scriptum euulgauit, olim quidem ex SCto: intestabilis esse iubebatur: Sed postea Valentin: & Valent: Impp: constit: capitali pœna plecti iussus est.

86. Similiter, si facta sit iniuria Sacerdoti, vel eius ministro, dum sacra faciunt, iudicio publico, Reus sententia capitali vindicatur.

87. *Præter illas iniuriæ pœnas siue ciuiliter, siue criminaliter, licet de modica iniuria agatur: Reus suo nomine condemnatus, etiam infamia notatur: Excepta(vt volunt) actione reuocatoria, in cuius sententia in Iudicio Camerali, & alijs Consistorijs, etiam expressè fit honoris conseruatio: vt & iure VVirtt: si reus non perseuerauerit in verbis iniuriosis.*

88. *Quinimò, qui cùm pretio quantocunq; pactus est, ne secum iniuriarum ageretur, infamia notatur.*

89. *Potest tamen certis modis euitari infamia, & primò quidem, si reus ipse personaliter nō compareat, sed tantùm per procuratorem, quo casu in procuratorem sententia profertur, tanquam dominum litis, eoq; condemnato, neq; ipse, neq; dominus, infamia notabitur.*

90. *Secundò euitari infamia potest, si in iudicio ciuili æstimatoria, Reus ante conclusionem causæ, vel si conclusum sit, ante condemnationem, iniuriæ æstimationem persoluat.*

91. *Tertiò reus infamiæ notam effugere potest, si super iniuria authoritate iudicis vel Magistratus transigat: alioqui Reus cùm pretio transigens, infamis efficitur*

92. *Deniq; infamiam iniuriator euitare potest, si gratuito nulla data pecunia paciscatur cum iniuriato, vt iniuriam remittat.*

93 *Postremò ad actorem & accusatorem quod attinet, absoluto reo, an scilicet pœna aliqua ipsos maneat, sciendū est, quod iudex Reo absoluto incipit de actoris vel accusatoris*